



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1204. Usque Ad Annum 1230

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118030

§. 49. Friderici reditus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66406)

Sæcul. XIII.
A.C. 1229

Et satellitibus obsedit, qui Templarios, & Peregrinos insectarentur. In Dominica Palmarum quosdam Fratres Prædicatores, & Minores, qui ad oppida, ut ipsis præscriptum erat, Verbum Dei prædicaturi, exiverant, a militibus suis capi iussit, qui de Cathedris suis abstractos, terræ afflictos, ac per civitatis plateas raptatos, fustibus, pœna furibus debita, contuderunt. Exinde intelligens, se vi manifesta nihil agere, nobis pacis conditiones obtulit, quas cum non servaret, urbem Interdicto Ecclesiastico subiecimus. Tunc vero ex his terris celeriter se proripere statuit, & quasi res Palæstinæ in perpetuum perditas vellet, arma, quæ jam diu Acriviæ ad defendendam Regionem custodiebantur, navibus suis inferri curavit, quin & magnam eorum partem Soldano Ægypti, amico suo in paucis caro, transmisit. Tandem, navigio clam conscenso, in Festo SS. Jacobi & Philippi, die prima Maji, vale nemini dicto, vela fecit.

§. XLIX.

Friderici Reditus.

Sanut. p. 213
an. 1229.
p. 302.

Verumenimvero Fridericum Imperatorem urgebat nuncium, jam hyeme præ-

præterita acceptum, bellum sibi in Italia a Papa, fortuna favente, inferri; quamobrem transactionem cum Soldano inire non distulerat. Quin etiam in Palæstina de vita periclitabatur Fredericus, si fides est Mathæo Paris, hujus ævi Scriptori, cum dicit, Templarios & Hospitalarios, auctoritate Pontificis, Imperatori publice irascentis & adversantis, accensos, Soldano Ægypti perscripsisse; Imperatorem animo constituisse, ad Jordanem fluvium se conferre, devotionis causa, pedibus iter facturum cum paucis sociis. Itaque haud difficilis negotii rem Soldano fore, incautum, & propemodum solum, ut videretur, vel capere, vel opprimere. Soldanus, accepta epistola, cujus signum cognoscebat, perfidiam Christianorum, & inprimis virorum istorum Religiosorum, abominatus, suis ad consilium vocatis, epistolam remisit Imperatori, quem jam ante amici monuerant, ut a proditorum insidiis sibi caveret. Sed cum perpenderet, quanti viri accusarentur, fidem superabat suspectum indicium. Dissimulavit verò, dum tempus vindictæ opportunum adesset. Inde Imperatoris odium in utrumque Ordinem Militarem ortum. Ceterum illud silentio minime præteriri

F f f 5 debet,

Sæcul. XIII.
A. C. 1229.

Sæcul. XIII.
A. C. 1229.

debet, tetri facinoris cogitati suspicio-
nem, plurimorum iudicio, magis in Tem-
plarios, quam Hospitalarios cecidisse.

§. L.

*Paſta, Raimundo Comiti Tolofano a
Rege conceſſa.*

*Sup. n. 32.
Guil. Pod.
Laur. c. 39.*

In Francia, hoc anno ineunte, Raimun-
dus, Comes Tolofanus, cum Eccleſia,
& Rege in fidem, & gratiam rediit.
Quibusdam conditionibus, ab Elia Gua-
rino, Grandisilvæ Abbate, propoſitis,
ad Colloquium conventum eſt Meldis,
quæ civitas tanquam Partium neutri
addicta habebatur, quod in ea Comes
Campaniæ rerum potiretur. Ille
Cardinalis Romanus, Papæ Legatus,
cum multis Præfulibus, ab ipſo vocatis,
ſe contulit. Archiepiſcopus quoque
Narbonenſis, cum ſuis Suffraganeis, &
Comes Raimundus, cum magno Tolo-
fanorum numero, adfuere. Poſtquam
multi dies deliberando conſumpti, Capi-
tibus pacis compoſitis, tota Congrega-
tio Pariſios divertit, ut, Rege præſente,
negotium perficeretur. Hæc Transac-
tio, in formam literarum Regiarum pa-
tentium redacta, ſummatim complecti-
tur ſequentia. Cum Raimundus iſſi-
qui